



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Cilibanus. Conscientia igne examinata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A *iusmodinam ex corde elemosynæ, vel Psalmi, vel preces, vel jejunia offerantur: atque ita qui te- stem altare, hoc est, cor & conscientiam appellat, per altare jurat, ac perinde omnia quæ continen- tur in eo, complectitur.*

COELUM. CAP. VII.

Plutarchus hanc cordis effigiem subiecto in foco succensam, cœlum indicare contendit, ani- mumque illum, qui propter æternitatem nulli unquam senectuti obnoxius est: Et Apulejanus *Ægyptus cœli imago, & mundi templum.* Trisnegistus ab Hippone non admodum diversus, Ægyptum cœli agnoscit imaginem, iisque omni- bus æquiparari, quæ in cœlo gubernantur exercenturque, & si dicendum sit verius, terram eam to- tius mundi templum esse. Quinetiam invenias apud nonnullos, universum terrarum orbem in Divi- nis literis nonnunquam Ægypti nomine nuncupatum, ut eo Psalmi loco, *Veniunt legati ex Ægypto,* propterea quod universam terram eodem, quo Ægyptus, modo coagmentatam imaginentur.

CLIBANUS.

CONSCIENTIA IGNE EXAMINATA. CAP. VIII.

F *Acit vero ad hanc cordis significationem Clibanus, in Divinis literis passim propositus, cui cor hominis aptissima confertur similitudine, de quo tam frequens in Mosaicis libris, & Prophetarum aliorum oraculis mentio reperitur, sive per similitudinem, sive fit pro instrumento sacrorum posi- tus: Clibanus enim præfurnium est apud Latinos: per ejus figuram interpretes cor hominis, uti di- ctum superius, intelligunt. Nam quædam Deus apud majores nostros, veteres inquam Prophetas, apponi sibi vult Clibano cocta, hoc est, tacita mentis agitatione examinata: cum scilicet nos erroris penitet, conscientia nostra ardore quodam occulto intra se succenditur, utrumque ipsa suum pau- latim exurere contendit.*

SACRORUM ARCANA. CAP. IX.

A *Damantius putat ex Clibani forma, quæcumque in Divinis literis profundiora vel inenarrabi- lia sunt significari: quippe quæ recondita delitefcunt in sensu mentis, neque facile ad imperitum vulgus proferrî possunt: sunt enim multa hujusmodi, sicut de Camelo, & Sue, & altero quidem ru- minante, sed qui pedem integrum habeat, altero vero bifidam pro se ferente unguam, sed qui mini- me ruminet. Ita etiam de Adamo, per Evam astu Serpentis deceptam, in prævaricationem adducto, quarum historiarum mysticum significatum locis suis exposuimus ex Philone apud Ezechielem, ut ad Adamantium revertamur, quæ de Cherubino, vel de Deo media sui parte succenso, vel de admi- rabili illa visione, sunt literis demandata, nisi coquantur in Clibano, neque quidem mandi, neq; de- vorari, ita ut sunt cruda, poterunt: hoc est, ut cruditatem hanc interpretemur, nisi qui latet interius sensus divini calore ignis molliatur, excocctusq; ita cibus fiat, ut mandi possit, & ad nutrimentum as- sumi, aliquid semper occurfabit, asperitate sua difficile, quod ab eorum gustu mortales avertat. Osee dicitur est: *Corda eorum sicut Clibanus incaluerunt,* quod longe feciore à superioribus sensu tunc fie- ri intelligendum est, cum vitiorum ardor cor ipsum interius exurit: quippe cum mortales flagranti cupidine incensî, suam ipsimet perniciem affectantur: in medio enim hæc posita sunt, utrum res ad sacrificium coquere, an exurere potius inutiliter velimus. Atq; ita Clibanus varia interioris affectus habet significata, proq; sensu mystico figuratur. Minime vero prætereundum videtur, quod Hiero- solymitanus Hefychius hieroglyphice super Clibano philosophatur eo Levit. loco: *Cum autem ob- tuleris sacrificium cœlum in Clibano de simila.* Nam per Clibanum Mariæ virginis uterum significari tradit; Clibano enim ignis superponitur, qui supponitur in craticulæ ministerio. Veluti enim Cliba- nus & ignem & panem coquendum de super accipit, ita Dei genitrix Spiritum sanctum, & Dei verbum in utero suo conficiendum maturandumq; suscepit, & quæ multa in hanc sententiam profequitur. Est vero Clibanus, tum furnus, tum sartago, aut testa quædam grandior, operculo vel ferreo, vel ex are præmunita, supra quod ardentes prunæ ingeruntur: ut quod intra positum est, coquatur, condiaturve; alicubi totum hoc opere figulino conficitur. Ad hujus autem similitudinē formata est pe- *clibanus in sacris lite- ru hiero- glyphica. Ezech. 6. 10. Osee 6. 7. Levit. 6. 2.**